



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

Festum Pentecostes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

ria; nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro. Ideo si post medicum desideramus ascendere, debemus vitia deponere. S. Aug. serm. 2. de Asc. Dom.

## FESTUM PENTECOSTES.

**N**on ego jam centum ora totidemq; linguas, unam tantum ex iis opto, quas hodie cælum depluit. Jacebat è juventute studiosâ adolescens, quem in lectum non tam ægritudo quàm scelerum pondus dejecerat. Cæcus interea non videbat ante orci fores se stare, surdus ne fratris quidem monita saluberrima audiebat. Intempestâ nocte virum videt majestate vultûs; & multâ canitie venerandum. Ego, ait hic, ille sum, qui tui causâ omnia, sed te mei unius gratiâ condidi. Si nondum intelligis, omnium PATER sum. sed te filium degenerem abdico, abjicio, & dirum damnationis Theta jam nunc tibi denuntio. Ita attonito sub alteram noctem vir adest integrâ ætate, spinis caput, cruce humeros insignis, cætera nudus & sanguine, qui ex pectori saucio in fontem abierat, latè humum inundans; hic, si nescis, inquit, JESVS sum, Servator olim tuus, nunc Judex: simul manus pectori immittit; & sanguine plenari in vultum jaciens ægri, erubescere, ait, vel sic & tessera ram damnationis cape, salutis futuram, si maluifess. Sub hæc in cælos, æger in desperatione abiit. Erexit tamen miserum frater, & ut noxis expiatis ad Amorem SPIRITVM se verteret, suasit. Tertia igitur nox personam visa ostendere, vultu prioribus non absimili, sed placido, & arridente, qualisque humero insidens columba probabat. Atque hæc scelerum veniam, & mortem beatam

nuntiavit. Quis jam fidem non habeat dicentibus columbam sine felle esse? Ex Spec. Exempl.

Vt alius hic Spiritus vivificet te, custodi unitatem, & apud te quietus sede, prestolare ejus adventum, ut te ad se suscipiendum paratum inveniat: Turbas fuge & temporalium facultatum devita negotia, quatenus amabiliter Paracletus veniat & requiescat in te. S.L. Just.serm.de Pent.

## FESTUM SS. TRINITATIS.

**Q**uid solem intueris? si sapis oculos claudes. Fides talpa sit, oportet. Nimurum non posse in parvulam fossam exonerari Oceanum, Augustine, docuisti. Manu tamen ad tanta mysteria non semel nos duxit cælum. Ita quo tempore Vasaten-ses Hunni bello, & hæresi suâ SS. TRIADEM Ariani impetebant, miraculum contra hos ingens pugnavit. Etenim sub ipsis sacris è cælo in aram ter-geminæ guttæ se demiserunt, invidiam crystallo facturæ. Has cum legere Sacerdos vellet, ecce suâpte sponte in unicam gemmam coivere. Atque hoc nobilissimum, UNIVS TRIADIS, & TRINÆ UNITATIS symbolum Christiani cruce, hanc unionibus ornarunt. Sed quod unâ suâ gemmâ sardives crux esset, uniones omnes, velut victos se faterentur, longè inde exsiliwerunt, quo permoti cives aureâ denique cruce, ut par erat, gemmam unicè pretiosam incluserunt. Jam in Virginis Clariæ de Monte Falco corde repertos ajunt hodieq; asservari tres globos, qui singuli cum singulis, quin imò bini etiam cum tertio certant pondere, nec tamen superant, nec superantur. Ostendit hæc Virgo nobilius aliquid quam aurum, quo mysterium